

Bibliothèque numérique

medic@

Dupuid, Jean-Baptiste - candidat /
Disdier, François-Michel - président. -
[De haemorrhoidibus]

1752.

***Paris : Typis Delaguetta Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°23



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0023



D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ

ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

I.



IRANDAM Corporis humani structuram
solidis & fluidis mutuo gaudentibus motu con-
flari neminem latet. His omnibus integris, fir-
missima ac intacta viget sanitas; ast mutato
naturali ipsorum æquilibrio, plurima nasci in-
commoda quis non noverit!



I I.

INNUMERIS præsertim sanguineis constituuntur canalibus & tubis solida ; alii à sinistro Cordis Ventriculo ad omnes corporis partes , & Arterias : alii verò ex omnibus Corporis partibus ad dextrum Cordis Ventriculum procedunt , & Venas nuncuparunt Anatomici. De Venis hic præcipuè hæmorrhoidalibus ob tumores in ipsarum met cavitate præter naturali dilatatione efformatos , acturi , quidquid ad ipsarum structuram , distributiones , actionem & motum spectat , quantum in nobis erit , exponere conabimur.

I I I.

EXTREMITAS Intestini recti inferior in foramen , Anum nuncupatum , desigit : iste pluribus firmatur Musculis , quorum alii levatores , alii Sphincteres , crassioribus prætereà exstruitur membranis , variisque irrigatur vasis. Interna à Mesaraicis , & externa ab Hypogastricis suppeditantur , eaque sibi mutuò inoculantur.

I V.

Quo debiliior cujuscumque partis structura , eo lentior in ipsius vasis liquidorum circulatio ; haud ergo mirum accidit , quod in venis Ano vicinis , hic & illuc flaccido-textu cellulari , maximæque pinguedinis copiâ circumdatis , multoties animadverjantur ingurgitationes.

EX CHIRURGIA.

I.

HÆMORRHOIS sanguinis per quamlibet corporis partem , si vim nominis spectes , profluvium significat. Veteres tamen fluores sanguinis per venas duntaxat hæmorrhoidales hac voce indigitarunt. Nos verò , ut clarè elucescant quæ circa positiones sunt indaganda , Hæmorrhoidum nomine tumorem à venarum hæmorrhoidalium tunicis in uno vel multiplici puncto ultra modum dilatatis efformatum intelligimus.

I I.

HÆMORRHOÏDUM differentiæ plures : Cœcæ nimirum sunt & apertæ. Cœcæ dicuntur quæ intus latentes videri non possunt, quæque nullum prorsus emittunt sanguinem. Apertas è converso designarunt, aut in quibus, quamquam oculis sint imperviæ, modò continuum, modò periodicum fit sanguinis profluvium, aut quæ visui conspicuæ, extrâ tument. Illæ inflammatione afficiuntur, illæ fecus : magnitudine insuper, numero, duritie inter se differunt : discrepant & figurâ : aliæ quippè morales à mori effigie, aliæ vesicales, seu uvales : loco prætereà, quòd nempè intus vel extus sedeant.

I I I.

IMPEDITO in venis Hæmorrhoidalibus, vel in vicinis, quoquo id fiat modo, sanguinis circuitû, nascuntur Hæmorrhoides. Plurimæ autem ipsis assignari possunt causæ ; aliæ enim internæ, aliæ verò externæ. Priores ex vitiatâ tum solidorum, tum fluidorum indole, & ex quâcumque compressione internâ liberum sanguinis ascensum impediante, externæ causæ pariter ex compressione, contusione, erosione, nixu vehementiori &c. deducendæ sunt.

I V.

EXTERNÆ tumore, ut plurimum, rotundo, plus minùs-ve molli, subcæruleo nonnunquam colore, lentiori progressû crescente, pressione digiti sæpè sæpius evanescente dignoscuntur Hæmorrhoides ; internæ verò difficiliori negotio & propriis tantum accidentibus, doloribus scilicet acutissimis, in obeundis functionibus difficultate, sanguinis profluvio, tensione, calore, febri &c.

V.

FLUENTES moderatè Hæmorrhoides, quàm plurimos sapientimè curant morbos, imminentes arcent, integramque fovent sanitatem : Quæ verò immoderatè fluunt, vires debilitant, totiusque machinæ detrimentum inducunt.

V I.

CÆTERUM à multiplicitate, sede, naturâ, mole, accidentibus diversa Hæmorrhoidum deducenda prognosis.

V I I.

HÆMORRHOÏDUM quæ internis in venis contingunt, palliativam tantum seu à generalioribus remediis, seu à moderatâ victûs ratione expectandam censemur curationem, quæ quidem sæpissimè radicalis efficitur. Exterioribus verò Hæmorrhoidibus perfecta, ut plurimum, competit curatio, imprimis tumoris compressione, aut ligaturâ, si possibilis, hirudinum, medicamentorumque adstringentium usû, incisionibus & causticorum interdum appositione obtinenda.

V I I I.

QUINQUE demum remedium generibus ad quinque curationis scopos collimando, curantur Hæmorrhoides. Aperientiæ scilicet ultra modum tumentes, compescendus fluxus apertarum immodicus, præcavenda fœculepti sanguinis generatio, mitigandus dolor, ac tandem tollenda, si adsit, inflammatio.

Has positiones, DEO JUVANTE & Præside M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA DUPUID, Noviodunensis, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Martis 17^a Octobris, à sesqui-secundâ post meridiem
ad Septimam. Anno Domini 1752.*

P R O A C T U P U B L I C O,

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1752.